



**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.  
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni  
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &  
Aquilejense Schisma describitur**

**Noris, Enrico**

**Patavii, 1708**

§. 11. An erraverit Augustinus docens, occisionem grassatoris mortem  
intentantis non esse licitam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)



inferebant hoc absurdum ex Augustini sententiâ: *Quod ab eis, qui non sunt predestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.* Hæc est enim secunda objectio Gallorum, quâ doctrinam Sancti Patris, teste Prospero, fugillabant. Respondeo, peccatum originale intulisse pœnas proprias ipsius naturæ, & has per baptismum non remitti, quarum præcipuæ sunt concupiscentia, & privatio potentia proxime expeditæ ad perseverandum in acceptâ iustitiâ, & sic nihil damnationis remanet in baptizato, prout damnatio culpam significat, non verò prout dicit pœnam. Nam ibidem docet Sancta Synodus, remanere concupiscentiam, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinât. Nullo verò pacto conceditur, hominem baptizatum damnari propter peccatum originale formaliter, & esse ratione illius ut causæ proximæ reprobatur, sed dicimus, radicaliter peccatum originale esse causam reprobationis fidelium, qui damnantur, quatenus ex illo ortum habuit privatio potentia proxime expeditæ ad perseverandum, sub quâ præciso auxilio speciali Dei homo salutem non consequitur, sed labitur in peccata, ob quæ proximè, & formaliter à Deo damnatur. Neque enim negamus, Deum reprobare aliquem ob peccata actualia, neque dicimus, Deum prius reprobare propter originale, deinde etiam ob actualia, ut opponit Joannes à Sancto Thoma disp. 10. de Reprob. art. 2. num. 30. sed asserimus, Deum immediatè damnare pœnâ æternâ hominem ob peccata actualia, in quâ incidit ob impotentiam perseverandi, seu ob privationem potentia proxime expeditæ ad perseverandum, quæ est pœna humanæ naturæ relicta ad agonem ex peccato Adæ. In baptismo verò remittitur culpa, & pœna debita personæ, quæ peccavit, non pœnalitas inflicta ex primo peccato ipsi naturæ, quod exemplo concupiscentia diximus fieri manifestum. Quare ob peccata actualia homines damnari concedit Sanctus Pater cap. 13. de Cor. & grat. in fine, ubi de reprobis loquens: *Aut enim, inquit, jacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum, aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt &c. alii magis, alii minus, sed omnes mali, & pro ipsâ diversitate diversis suppliciiis judicandi, aut Dei gratiam suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt, & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio non accepto perseverantia dono iudicio Dei iusto, & occulto.* Lege cap. 93. Enchiridii. Ex quibus colligo, taxationem pœnæ dependere à peccatis actualibus, in quæ homo labitur, quia deserit Deum, deserit verò, quia est dimissus libero arbitrio, non accepto dono perseverantia iudicio Dei iusto, nempe in pœnam peccati originalis. Cæterum homo baptizatus, licet habeat illam privationem doni perseverantia, & non sit dignus hanc habere, quia non datur secundum debitum, non est tamen dicendus illâ indignus, seu habere debitum non habendi, quomodo sunt peccatores, sed tantum non habet debitum habendi, quod debitum habebat Adam; undè non esse hujus potentia proxime expeditæ ad perseverandum, non potest dici sola negatio, sed vera privatio, quia est carentia doni aliâs debiti naturæ prout elevata ad finem supernaturalem.

Hactenus hæc pro explicandâ sententiâ Sancti Augustini insinuata sint, pluribus enim eandem sententiam & exponunt, & defendunt eruditissimi Theologi Ruizius, & Gonetius laudati. Undè nescio quo

pannico timore percussus illam Adamus horruerit, accusans eandem tanquam matrem Calvinianæ hæreseos; quod quidem attentius considerans, arbitror illum intellexisse errorem satis notum, nempe in baptizatis verè remanere peccatum originis; etenim si post baptismum adhuc fidelis potest reprobari ob peccatum originis, non igitur est deletum, & remissum, cum aliquid remaneat in renatis, ob quod æternum damnentur. At hæc erat vetus calumnia, quam Semipelagiani, ut ex Prospero diximus, Augustiniana sententiâ inferebant, à quâ eandem procul esse ostendimus. Longè verò abest Sanctus Doctor à Calvinistarum sententiâ, isti enim putant, ipsam concupiscentiam esse formaliter peccatum originis, quæ cum remaneat post baptismum, dicunt non fuisse deletum peccatum, sed reatum, & non imputatum. At Sanctus Doctor non const. tuit in ipsâ concupiscentiâ essentiam peccati originalis, sed in reatu, & maculâ, quæ tota deletur in baptismo. Undè lib. 2. de Pecc. mer. cap. 28. loquens de concupiscentiâ ait: *Non sic manet in membris eorum, qui ex aquâ, & spiritu renati sunt, tanquam non sit ejus facta remissio, ubi omnino plena, & perfecta sit remissio peccatorum omnibus inimicitis interfectis, quibus separabamur à Deo.* Lege Bellarminum tom. 4. lib. 5. de Amissione gratia cap. 8. id ex Augustino eruditè probantem. Hoc ipsum tamen melius, ac fufius explicat Pater Macedo lib. 4. de Clavibus Petri cap. 5. & 7. Non est igitur, cur Adamus celeberrimam Sancti Patris sententiam Calvinismi infimulet, cum Calvinus hac in re longius ab Augustino, si quis alius abjerit. Sed transeamus ad alia, sui que consilii causas adversario dimittamus.

## S. IX.

*An erraverit Augustinus docens, occasionem graffatoris mortem intentantis non esse licitam?*

Ultimum, quem Sancto Patri errorem objiciunt, in examen vocamus; inquit enim, eundem dixisse: *Haud licitum esse occidere graffatorem, qui nobis velit vitam eripere.* Est Adami contra Augustinum accusatio cap. 3. pag. 585. Disputat Augustinus lib. 1. de Libero arbitrio cap. 5. possint-ne citrà culpam interfici hostis irruens, vel insidiator sicarius, sive pro vitâ, sive pro libertate, sive pro pudicitia? Postquam dixit lege Romanâ graffatores posse impunè occidi, dum vitam alteri stricto mucrone auferre tentant, ait: *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Ex his Augustini verbis in varias sententias gravissimi scriptores abiere. Multi putarunt, Augustinum negasse, esse licitum occidere in vasorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, quorum nonnulli tanti Doctoris auctoritate moti eandem sententiam subscribere, vel saltem probabilem existimarunt. Augustinus Triumphus Anconitanus insignis Theologus Augustinianus in libro de potestate Ecclesiasticâ quæst. 52. art. 3. ponit, & probat hanc conclusionem: *Puto, quod culpa sit hominem occidere, ne ipse occidatur, quacunque inevitabili necessitate hoc fiat.* Ad hoc est, addit, auctoritas Augustini in pluribus locis. Primo de libero arbitrio dicentis &c. Tostatus illud ingeniorum monstrum in cap. 5. Matth. 9. 109. recitatâ sententiâ Triumphi, & oppositâ, quæ est communior ait: *Utræque istarum positionum videtur aequaliter ra-*



tionabilis, maxime cum ista secunda aliquantulum videatur esse de intentione Augustini. Vasquez cap. 2. de rellit. dub. 6. num. 18. Augustinum eam sententiam secutum fuisse affirmat, quam, inquit, quidam ex Canonistis amplectuntur. Molina disp. 3. cit. num. 3. ait: *Vehemens suspicio est, Augustinum ejus fuisse sententia.* Gerson pro eadem sententia refertur in tract. de Eucharistia. Certè 2. p. compend. Theol. in exposit. 5. præcepti ait: *Dicunt quidam, quod nullo modo licet occidere etiam defendendo, maxime autem viro perfecto, & hæc videtur esse opinio Anselmi.* Ubi etiam recitat contrariam opinionem, neutram verò rejicit. Sequuntur Accursus, & Glossa super l. vim vi ff. de just. & jure. Richardus insuper à Sancto Victore, & Almaynus citantur à nostro Salonio. Quare non solus fuit in eâ sententia Augustinus, sed habuit sectatores & Theologos, & Jurisconsultos, apud quos plus ponderis unius Augustini auctoritas valuit, quam vulgaris aliorum opinio. Antequam tamen Sancti Doctoris sententiam explicem, moneo haud opus fuisse, nonnullos tantâ diligentia utriusque juris testimonia conquirere, quæ invasoris occisio cum moderamine inculpata tutelæ conceditur, uno enim verbo jam olim responderat Sanctus Doctor cap. 5. laudato: *Legem quidem satis video esse munitam contra hujuscemodi accusationem, quæ in eo populo, quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam; multo enim mitius est eum, qui aliena vitæ insidiat, quam eum, qui suam tuetur, occidi.* Ubi quærit an homines, quibus civiles leges invasoris occisionem permittunt, aliquâ vehementiore, ac secretissimâ lege teneantur tales non occidere.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. nolens discedere à Sancti Augustini sententia, neque item à communi opinione, distinguit unum, & alterum modum, quo quis se defendens potest invasorem occidere. Potest enim quis habere tantum intentionem se defendendi, licet inde ex accidenti sequatur mors invasoris; vel potest intendere occisionem aggressoris, vel tanquam medium, vel tanquam finem, ut exponit ibi Cajetanus. Potest hoc explicari exemplo satis apto. Præcipit medicus scindi venam infirmi, ut emissionem sanguinis curetur, licet sciat infirmum ex tali emissionem passurum deliquium, quod reverâ ipse nolle, si aliter infirmus curari posset. In hoc casu Medicus vult salutem infirmi, ut finem, emissionem sanguinis, ut medium, deliquium nullo pacto intendit, nisi ut quid consecutum ex accidenti præter suam intentionem, in quod tantum materialiter consentit. Ita hoc secundo modo potest aggressus occidere invasorem, nullo verò pacto potest intendere mortem grassatoris irruentis neque ut medium, neque ut finem. Et hanc esse mentem Sancti Doctoris rectè ostendit Salonius in fine art. 7. eandemque explicat Toftatus citatus. Quare Sanctus Thomas in resp. ad. 1. scribit, Augustinum intelligendum esse de intentione occidendi aggressorem, non verò si intendat directè conservare propriam vitam, nam talis actus, non habet, inquit, rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse, quantum potest. Omitto hanc sententiam vix posse in proximum reduci, quis enim surgente irâ, animoque in sui defensionem subito erecto, illam intentionem habere potest? quod Salon, Molina, alique adnotarunt. Certè illa explicatio non est ad mentem Augustini, cum tamen, inquit, Molina tom. 4. disp. 3. num. 3. fortasse Augustini testimonia

divum Thomam impulerint ad asserendum, aggressum non posse intendere mortem aggressoris. Nam Augustinus occisionem aggressoris inde esse malam probat, quia oritur ex cupiditate servandi vitam, quæ non debet amari, sed contemni: *Quomodo enim, inquit, apud eam (divinam providentiam) sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humanâ eade polluti sunt? Et antea: Non enim lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate; liberum eis itaque est necinem necare pro iis rebus, quas inviti possunt amittere, & ob hoc amare non debent.* At Sanctus Thomas vult, ex instinctu naturæ amare unumquemque suam vitam quantum potest, ex quo amore sequitur defensio ad illam conservandam etiam cum morte insidiantis. Porro inter illa, quæ contemni debent, ibidem vitam reponit Augustinus, eo utens dilemmate de vitâ animæ, dum corpus interimitur: *si auferri potest, contemnenda est, si non potest, nihil metuendum.* Et Angelicus Doctor illam intentionem ex irâ contra hostem infici malitiâ opinatur, at Augustinus nimiam concupiscentiâ, & immoderato amore erga se occasionem illam vitari existimavit.

Sed jam videndum est, undenam Augustinus in eam sententiam descenderit. Ille quidem cum originem mali, quam contra Manichæos disputans indagabat, à libidine, seu pravâ cupiditate derivari statuisset, omnia malefacta, inquiens, non ob aliud mala esse, nisi quod libidine, id est improbandâ cupiditate fiunt. Cap. 4. Postea quærit cap. 5. *Utrum vel hostis irruens, vel insidiator sicarius sive pro vitâ, sive pro libertate, sive pro pudicitia sine ulla interficiatur libidine?* Respondet, occisores invasorum non esse ab hac pravâ cupiditate immunes: *Quomodo possum, ait, arbitrari carere istos libidine, qui pro iis rebus gladiantur, quos possunt amittere inviti & c.* At statim objicit sibi, Romanas leges permittere aggressorem impunè occidi, quod autem lege licitum est, peccatum nullo modo esse potest. Respondet, tales quidem non teneri reos lege Principum temporali, sed aliquâ vehementiori, ac secretissimâ lege. *Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humanâ eade polluti sunt?* His ita constitutis, tota rei difficultas in eo erat, ut Augustinus rationem daret, cur apud leges civiles occisor invasoris non esset homicidii reus, sed bene apud legem æternam, & immutabilem. Ad hoc verò probandum Sanctus Doctor reliquum illius libri impendit, cuius summa est: *Lex æterna vult omnia esse ordinatissima.* Cap. 6. undè fit consequens, ut homo in se ipso ordinatissimus sit: Cap. 7. Cum verò habeat homo plures motus cum belvis communes, nam appetere voluptates corporis, & vitare molestias ferina vitæ omnis actio est: Cap. 8. *Hæc moribus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicentis est.* Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur. Ratio ista ergo, vel mens, vel spiritus cum irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam æternam esse comperimus. Cum ergo ita homo constitutus, atque ordinatus est, nonne tibi sapiens videtur? Cap. 8. *Eos enim sapientes voco, quos veritas vocari jubet, id est regno mentis omnis libidinis subjugatione pacati.* Cap. 9. *Putasne istâ mente, cui regnum in libidines æternâ lege concessum esse cognoscimus, potentior esse libidinem? Ego enim nullo pacto puto; Neque enim esset ordinatissimum, ut impotentiora potentioribus imperarent.* Quare necesse arbitror esse, ut plus possit mens, quam cupiditas,



*cupiditas, eo ipso, quo cupiditati rectè, justèque dominatur: Cap. 10.* Ex his Augustinus intentum deducit: Nam cum quis aggressorem occidit, non ratio, sed cupiditas illi dominatur: *Quomodo possum arbitrari, inquit, carere istos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti, aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi?* Neque enim actum occidendi ratio, sed cupiditas regit, cum ratio dicat, vitam non esse verum bonum hominum, quia illam possunt amittere inviti. Quod enim inquit, à naturâ insitam esse sui conservationem, ac proprii boni defensionem, nihil juvat: nam vita corporis non est proprium bonum hominis, sed *hominis pars vilissima: Cap. 16.* Bene quidem feræ naturali instinctu etiam cum aggressoris occisione vitam tuentur, quia hæc summum bonum illis est, idque cupiditate sui conservandi faciunt, ne amittant esse. At si homo, ut se defendat, invadentem perimit, cupiditate movetur, quâ & belvæ in eos motus impelluntur, existimans tantum bonum vitam corporis, ut pro illâ necesse putet usque ad hominis necem progredi: *Cap. 5.* Belvarum enim proprium est, appetere voluptates corporis, & vitare molestias: *Cap. 8.* Ergo tunc movet homines ad occidendum cupiditas, quâ bestis meliores non sunt, neque tunc ratio irrationales animi motus regit. Ibidem. Ergo homo non ordinatè agit, & per consequens contra legem æternam agit, quæ vult, omnia esse ordinatissima, ut ibidem præmiserat.

Dices. Non igitur citrà vitium poterimus amare vitam corporis? Respondet Sanctus Doctor cap. 15. nos posse amare vitam, ac reliqua bona corporis utendo illis, non fruendo, quod egregiè sic explicat. *Cum igitur eisdem rebus aliis malè, aliis benè utatur, & eis quidem qui malè amore inhaerent, atque implicentur, scilicet subditus eis rebus, quas sibi subditas esse oportebat, & ea bona sibi constituens, quibus ordinandis, beneque tractandis ipse esse utique deberet bonum. Ille autem, qui rectè his utitur, ostendit quidem bona esse, sed non sibi, non enim cum bonum, meliorem se faciunt, sed ab eo potius fiunt. Et ideo non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, ne cum refecari cœperint, cum cruciati, ac tabe sedent, sed eis totus superferatur, & habere illa, ac regere, cum opus est paratus & amittere, ac non habere paratior.* Undè qui occidit aggressorem non superfertur totus, neque regit bonum vitæ corporis, sed ei amore conglutinatur, ac membrum sui animi facit, dolens cum cruciati eam sibi refecari, neque paratior est illam non habere, sed totis viribus colluctatur, ut habeat, putans eam suum bonum esse, pro quo conservando digladiatur, quæ tamen vita ad beatam vitam nihil facit, nam *beatè vivere, est veris, certisque bonis gaudere: Cap. 13.* inter quæ vita corporis non reponitur, tot variis subindè affectionibus perturbata, quas eruditè congerit Sanctus Doctor cap. 11.

Tandem Augustinus cap. 15. post longam disputationem disparitatem assignat, cur lex civilis Principum permittat occidi invidiosam vitæ, honoris, vel divitiarum, & id aliâ ex parte lex æterna vetet. Etenim lex civilis Reipublicæ temporalis nihil aliud jubet, nisi ut hæc, quæ ad tempus nostra dici possunt, quando eis homines cupiditate inhaerent, eo jure possideant, quo pax, & societas humana servetur, quanta in his rebus servari potest. Postea: Ergo & ad id, quod vult, torquat, ac retorquet miserorum animos, quibus regen-

dis accomodata est. Dum enim hæc amittere timent, tenent in his utendis que mdam modum aptum vinculo civitatis, quabis ex hujusmodi hominibus constitui potest, non autem ulciscitur peccatum, cum amantur ista, sed cum aliis per improbitatem auferuntur. At ut consequamur ultimum finem, lex æterna votat amari illa, quæ non sunt media ad illum obtinendum, ut quæ homines possunt & volentes non adipisci, & amittere inviti: *Cap. 15.* Jubet igitur æterna lex avertere amorem à temporalibus, & cum mundatum convertere ad æterna. Ibidem. O dignam Augustino doctrinam! Lex civilis Principum non ulciscitur peccatum, cum amatur vita corporis, sed cum aliis per improbitatem auferitur, & parum curat de illâ noxiâ cupiditate, cum de internis nihil statuatur. At lex æterna hanc cupiditatem damnat, cum in homine dominatur, ac rationem regit, dum quis arbitratur, tantum bonum esse sibi vitam corporis, ut usque ad necem hominis pro illâ defendendâ progrediatur, cum tamen illius bonum verum minime sit, neque enim facit illum meliorem, quod proprium solum est bonorum animi, quæ nullus potest amittere invitus, & si vult, habet. Da quâ re latè agit à cap. 12. Quis verò non videat, quo jure Augustinus datum inter utramque legem discrimen nuncupavit *sublimia quadam pertinentem distinctionem? Cap. 5. in fine.*

Hoc quidem argumento motus in eam sententiam ivit Sanctus Pater, in quâ tradendâ, & confirmandâ nec unum è sacris literis testimonium adhibuit, sed quòd cum Manichæis res erat, rationi tantum innixus philosophatus est. Quæ tamen nova nemini videri debent, eo enim in argumento Stoici, ac veteres plerique alii Philosophi summâ cum laude versati sunt. Siquidem quo celebre illud apathia dogma persuaderent, ac omne bonum hominis in mentis arce collocarent, nihil extrâ virtutem in bonis habendum esse pluribus argumentis contendebant. Hoc Seneca probavit luculentè opere, quod hoc titulo exaravit: *Quod in Sapientem virum non cadit injuria.* Hoc Philo intendit suo illo opusculo inscripto: *Quod omnis probus liber.* Idem adstruxit Lactantius in tertio Institutionum, sed cæteris Patribus subtilius, atque ornatius Joannes Chryostomus in Oratione, cui hunc titulum dedit: *Nemo leditur nisi à se ipso.* Quam sententiam alii diffusis commentariis postea illustrarunt. Itaque noster Augustinus in eo primo libro de libero arbitrio & ipse Philosophum agens, suprâ omnia corporea animum hominis ad veri sui boni cognitionem evexit, suumque rationi imperium pravæ cupiditatis motibus subactis asseruit. Sanè docuit nihili habenda esse qualiacunque hæc bona temporalia, quæ miseri mortales ad insaniam usque mille votis expetunt, neque enim illa ad summi boni assecutionem viam muniunt, sed impediunt. Quæ si vera sunt, culpandam dixit illius cupiditatem, qui pro bullâ, ita enim sapientes hominis vitam corpoream dixere, defendendâ mucronem stringit, atque humanâ cæde polluitur. Augustinus Anconitanus, qui hanc Sancti Doctoris sententiam ex professo defendit, alio ac planè diverso argumento illam confirmavit, nempe quia animam proximi plus teneor diligere, quam corpus proprium, quòd me invito possum perdere. Planum est autem, quòd anima proximi perditur, ex quo idem in actu injustæ invasionis per me occiditur; cui argumento cedit Cardinalis Lugo Tom. 1. de just. & jur. disp. 10. sect. 6. num. 143. si restringatur ad hominem ebrium invaden-



invadentem, & se defendens putet probabiliter se esse in gratiâ, de quâ re pluribus agit Tostatus. Sed nostrum est Augustinianam tantum sententiam explicare, quæ philosophicæ rationi innititur.

Ceterum licet Augustinus juxta subtilioris philosophiæ principia negaverit, licitam esse invaloris occisionem, nunquid contra legem etiam Dei illam esse existimavit? ut planè homo à grassatore invaluus, cum nulla sit alia via, quâ evadat, si invaluorem occidat, homicidii reus censendus sit, quod contra communem Theologorum sententiam esse ita certum est, ut Salon cit. concl. 2. dicat: *Opposita sententia est forsitan temeraria tot textibus, & communi omnium fere Doctorum placitis repugnans.* Ego quidem iudico, Sanctum Augustinum ex sacris literis, quas cum scriberet librum primum de libero arbitrio, parum se calluisse testatur, postea oppositam sententiam tradidisse. Hanc legem Hebræis Deus Exodi 22. dedit: *si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Ex quibus aperte deducitur, non esse contra legem Dei occidere invaluorem: cum hoc Deus ipse permiserit, ac hominem occidentem negaverit reum esse homicidii. At Sanctus Doctor tom. 4. q. 84. in Exodum disparitatem assignat, cur nocturnus fur citrà homicidium interfici possit, non verò diurnus, ita inquit;

V. ep. ad Ma. *Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur, si autem diurnus, pertinere, &c.*

cccl. *Poterat quippe discerni, quod ad furandum, non ad occidendum v. n. iset, & ided non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis secularibus. ( ff. ad leg. Aquil. leg. 4. ) quibus tamen ista est antiquior, invenitur, nempe occidi nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se cum velo defenderit, jam enim plus est, quam fur. Igitur si in dubio, an fur me velit occidere, possum juxta legem divinam ex Augustino citrà peccatum homicidii illum occidere, potiori jure eundem licitè potero interficere, si certam mihi mortem stricto mucrone intenter. Neque enim fas est dicere, Deum permisisse peccatum, & veluti latâ lege non improbasse. Etenim licet lex illa data esset ad firmendam civilem Rempublicam Hebræorum, patuit tamen divinam voluntatem permisisse homicidium, uti permiserit mundani Legislatores, & sicuti occidens invaluorem non agit contra voluntatem Legislatoris civilis, ita neque contra Legislatoris Dei voluntatem agere dicendus est. Non est tamen necesse, ut dicamus, Sanctum Doctorem priorem sententiam retractasse, cum præcipue ab scripto libro primo de libero arbitrio post triginta & amplius annos libros retractationum scribens illam priorem sententiam non expungens, iterum approbasse censendus sit. Itaque utrumque dictum est componendum ex ejusdem Sanctis Patris effato lib. 1. de Lib. arb. c. 5. ubi ait: *Potest ergo illi legi, que tuendorum civium causâ vim hostilem eadem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari.* Augustinus ut hostis occiso sit licita, hoc tantum vult, ut actio occidendi ab illâ noxiâ cupiditate sequestretur; quare si quis se defendens id agat, non motus illâ cupiditate, quâ ad sui defensionem bruta etiam impelluntur, sed pacato rationis imperio, nempe ob bonum reipublicæ, vel familiæ, vel ut moriatur, cum majori probabilitate salutis, quæ maximè Christianum consideratio decet, vel quocumque alio digniori fine procul ab illo cupiditatis irrationalis im-*

pulsu, aggressus citrà culpam potest licitè invaluorem occidere. Quæ quidem consideratio, licet illis in angustiis, non ita in promptu esse videatur, eadem probabilitate defenditur, quâ Sanctus Thomas intentionem occidendi hostis vel ut finem, vel ut medium distinxit ad hoc ut quis possit licitè invaluorem interimere, ut per se consideranti patebit.

Est alius etiam facilior modus Augustinianæ sententiæ exponendæ, si dicamus, Augustinum, quando occisionem aggressoris peccatum appellavit, intellexisse moralem defectum actionis, in quem incidit, qui relicto actu longè perfectiori, imperfectiorem eligit, undè ex insipientiâ operari dicitur. At qui se permittit occidi, nec curat, cum possit, nec hostis vitam redimere, excellentiorem quovis infortunio animum habere se monstrat, haud in bonis reputans vitam, quam amittere paratus est, & non habere paratior; undè summâ laude commendandus venit, quo pacto Anaxarcus, Stilpo, alique veterum præconia demeruerit. Secus verò agens exilis animi se esse ostendit, ut quem vilissimi boni possessio impleat, ac tanti vitam faciat, ut omnibus viribus pro illius conservatione sibi dimicandum putet. Quare apud veram sapientiam stultè hic posterior agere judicabitur, vilisque animi pœnas luet, ingenti illo laudum cumulo privatus, quæ vitæ corporis contemptori debentur. Accedit, fortitudinem majorem exeri ab eo, qui generosè mala patitur, quam ab eo, qui infert, ut post Aristotelem 3. Ethic. cap. 9. probat Sanctus Thomas 2. 2. q. 123. art. 6. undè ait Sanctus Pater cit. cap. 13. *Quid fortitudo? Nonne est illa animæ effectio, quâ omnia incommoda, & damna rerum non in nostrâ potestate constitutarum contemnimus?* Insuper certum est, excellentis charitatis actum illum futurum, quo quis mortem libens oppoteret potius, quam irruentem hostem interimens ejusdem perpetuæ damnationis causam esse; ut docet Aragon, Salon, Cajetanus, alique ad q. 64. cit. Sancti Thomæ. Potest hæc explicatio colligi ex iis, quæ idem in eo libro primo de libero arbitrio scribit. Nam, cum dixisset, occisionem invaloris nullâ lege civili plecti, ait cap. 5. *illa verò culpe alias penas aptas habent, à quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia.* At non agit juxta regulas sapientiæ, qui ob vilissimæ rei, quæ sit in homine, conservationem ingenti se laude privat, undè secundum easdem sapientiæ regulas defectuosè agit, quod est peccare. Sed plus aliquid velle fateor Sanctum Doctorem, nam cap. illo 5. ait: *Quomodo enim apud eam, providentiam divinam, sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt? Videtur ergo mihi & legem istam, quæ populo regendo scribitur, rectè ista permittere, & per divinam providentiam vindicari.* Quæ sanè verba invaloris occisorem plusquam dicti defectus moralis citrà peccatum in operando reum constituunt. Igitur sententia Sancti Doctoris ex subtilioris philosophiæ principiis deducta generosiori, sui que æstimatore animo digna non nisi injustè reprehendi potest, cum illam Hebræorum, Græcorum, ac Latinorum, sapientissimi antè Augustinum defenderint, qui vitam inter contemptibilia bona rejecere, undè nostri Patris assertum derivat, ut ex ipso luculenter ostendimus.